


Andreas Daniel Habichhorst    Matthaeus Müller

## **De Angelorum Concilio, Cui Satanas Interveniat, Ex Ijob. I. 6. Ven. Fcte Theol. suffragante**

Rostochi[i]: Typis Richelianis, 1689

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn733614450>

Druck    Freier  Zugang



RU theol. 12.0kt. 1689

Habichhorst, Andr. Dan. /a







5070

Q. D. B. V. 156

De

ANGELORUM  
CONCILIO,

CUI SATANAS INTERVENIEBAT,

*Ex IJOB. I. 6.*

Ven. FCte THEOL. suffragante,  
sub Præsidio

DN. ANDR. DANIELIS  
HABICHHORSTII,

Doctoris & Professoris Theologi ordinarii,  
Consistorii item Ducalis Assessoris design. inq; Collegio Pro-  
fessorum Ducalium Senioris & Facultatis suæ  
p. t. Decani spectabilis,

Dni Fautoris sui & Promotoris devenerandi,

*Ad d. XII. Octob. Anni M. DC. LXXXIX. in Auditorio Majori*  
disputabit

Auctor & Respond.

M. MATTHÆUS Müller / Dantisc.

ROSTOCHI, Typis RICHELIANIS.

Q. D. B. V.

ANGELORUM  
CONCILIO

CUI SATANAS INTERVENIEBAT

Vell. THEO. LUTHERANUS  
sub Praesidio

DR. ANDR. DANIELS  
HABITUS

Doctoris & Prof. Theologi ordinarii  
Conditoris seu Ducalis Altheim's d'g'g' in Collegio Pro-  
fessorum Ducalium Senioris & Praesentis hinc  
p. c. Decani Facultatis

Dni Fauctoris sui & Promotoris deventerandi  
M. VII. 1708. M. DC. LXXIX. in Anno

M. MATTHEUS DANIELS

Rostock, Typis RICHLEIANIS



כ"ב



CoGITANTI mihi quamnam in praesenti materiam dis-  
 putandi eligerem, sanè illa placuit de *Angelis*  
 cum *bonis* tum *malis*. *Ansam* verò mihi dedit  
 solenne *anniversarium*, quod uti jam olim in  
 veteri Ecclesia Catholica solenni festivitate sub  
 nomine *Michaelis Archangeli* fuit dedicatum: ita  
 hodiernum etiam nostris in Ecclesijs solenniter  
 non immeritò celebratur, non quidem ad exhibendum angelis religiosum,  
 qui creaturis non debetur, honorem; sed ad reddendam DEO coelestis ex-  
 ercitus Creatori devotissimam, quam meretur, eucharistiam: ad servan-  
 dam angelorum tanquam spirituum administrantium peculiarem, ceu fas  
 est, memoriam & doctrinam; ad exorandam Angelorum continuam, quã  
 indigemus, custodiam: ad sectandam laudabilem angelorum, quæ & nos de-  
 cet, sanctitatem & humilitatem; ad impetrandam denique desiderabilem in  
 futurâ, ad quam tendimus, vitã *ισαγγελίαν*. Ut igitur & nos non omninò  
 nullam solennis anniversarii rationem haberemus, insignem profectò locum  
 ex praestantissimo I Jobi libro & quidem primo ejus capite, v. 6. ubi *Angelo-*  
*rum* describitur *Concilium*, cui *supervenit Satan*, sumsimus tractandum.  
 Cum verò temporis spatium, quod meditationi ejus destinamus, perquam sit  
 exiguum, hinc veniam precari satius esse, quam magna Lectori & multa pol-  
 liceri judicamus. Ne tamen *ἀμετρίως* procedamus, tribus omnino capi-  
 tibus meditationem hanc nostram complectemur, quorum (1.) *Parascueva-*  
*sticum*, quæ viam ad faciliorem loci expositionem parabunt, brevibus expo-  
 net, (2.) *Exegeticum* ipsam loci exegesin proponet (3.) *Practicum* loci u-  
 sum paucis apponet. Cui conamini nostro votum illud Davidicum præ-  
 mittimus:

אנני יהודה חושיעני  
 אנה יהודה תצליחה נני  
 א

CPA



## CAP. I. præmittens

**Textum Orig. cum præcip. versionibus 2. Cohærentiam loci cum præcedd. 3. Logicam ejus analysin.**

Text. Orig. וַיְהִי הַיּוֹם וַיָּבֹאוּ בְנֵי הָאֱלֹהִים לְהִתְיַצֵּב  
עַל יְהוָה וַיִּכְנַח גַּם הַשָּׁטָן כְּתוֹכָם :

Chald. הוּוּ כְּוֹמַת דְּרוּנָה בְּרוּשׁ שְׂתָה וְאַתּוּ כְּתוּ מַלְאֲכֵי  
לְמַקּוֹם כְּדִינָה קֹדֶם יי וְאַתּוּ לְחֹד סַטְנָה כְּמַצִּיעֵהוּן :

LXX. Καὶ ἐγένεθ' ὡς ἡ ἡμέρα αὐτῆ, καὶ ἰδὲ ἦλθεν οἱ ἀγγέλοι τοῦ  
θεοῦ πνεύματα ἐνώπιον τοῦ κυρίου, καὶ ὁ διάβολος ἦλθε μετ' αὐτῶν.

Vulgatus: *Quodam autem die cum venissent filii DEI, ut  
assisterent coram Domino, affuit inter eos etiam Satan.*

Alius: *Et fuit dies & venerunt filii DEI, ad standum juxta  
Jehovam: & venit etiam Satanas in medio eorum.*

Lutherus: *Es begab sich aber auff einen Tag/ da die  
Kinder Gottes kamen und für dem Herrn traten/ kam der  
Satan auch unter ihnen.*

§.2. Cohærentia loci, cujus ceteroqvi cognitio multum lucis afferre  
Scripturarum interpreti solet, facilis inventu hic est. Ejus enim vinculum  
in primâ statim voce וַיְהִי designat inseparabilis particula ך, quam nonnulli  
per & uti LXX. καὶ ἐγένεθ' & factum est; alii verò ut Vulg. & Lutherus per  
autem oder verterunt: utrâqve enim significatione sc. copulativâ & adversa-  
tivâ particulam hanc gaudere pervium est. Ceterum nec latet, quomo-  
modo ista quandoqve per *præterea, sic &c.* reddenda, transitioni serviat &  
consecutionem insinuet; nonnunquam verò pleonasticè redundet, dum ex  
usu lingvæ integros libros, capita & versus inchoat. Hoc autem loco mini-  
mè redundans, non tantùm propriè locum huic cum præcedd. copulare, sed  
& transitioni servire & consequens aliquod singularium IJobi virtutum in  
præcedent. v. 1. & 3. descriptarum, quod fuit invidia Diaboli, tentatio & per-  
secutio, designare videtur. Tantum enim tamqve sanctum planè Virum  
invidus Satan ulterius in felici vivere statu (quem præcedentes versus à 1. ad  
5. depingunt) sine criminatione & tentatione videre non potuit. *Igitur  
die quodam, cum filii DEI s. Angeli convenirent, ad standum coram DEO,  
impudenter etiam Diabolus supervenit, calumniaturus IJobum. Unde & DE-  
us, ut omnibus innotesceret, quem verborum sonitum is percussus redderet,*  
vacuusne

vacuusne esset, an solidâ pietate polleret, permisit illum non externis tantum opibus locupletatum, sed virtutum quoque cumulo conspicuum & à Satana hypocrisis insinulatum probari, mundoque sic patientiæ, fortitudinis & sanctitatis exemplar, ipsisque Angelis spectaculum fieri, ut tandem vinceret simulque specimen constantiæ ederet: quomodo & Abrahamo singulariter tentato Angelus Jehovah dicit: *jam cognovi quod timeas Dominum Gen. 22. 12.* Laudamus hic *Piuedam* Jesuitam Hispanensem, qui Comm. in Ijobum Tom. 1. p. 34. nexum loci hujus eundem in modum exponit. Ut verò is nexus tantò magis appareat, ab ipso capitis hujus principio arcessere illum breviter non pigramur. Nimirum post *descriptionem tentati* hujus Ijobi à *felici statu*, à v. 1. usque ad 5. legendam quò pertinent (1.) *Sedes ejus ac habitatio*, quæ est terra Uz (2.) *Morum relictudo*, quibus dicitur (a) *Vir integer*, (b) *rectus* (c) *timens DEum* (d) *recedens à malo* v. 1. (3.) *Liberorum multitudo* v. 2. (4.) *Opum & familiæ magnitudo* v. 3. (5.) *Gloriæ & existimationis amplitudo*, ibidem. (6.) *Conviviorum*, quibus fraterna liberorum concordia declaratur, *bilaritudo* v. 4. (7.) Provida Ijobi pro pietate & salute liberorum *solicitudo* v. 5. post hæc, inquam, felicissimi ejus status descriptionem, pergunt Autor libri (2.) *miseram* ejus & calamitosum recensere *statum* & (1.) quidem ostendit, quomodo calamitas illa sit *procumna* à v. 6. ad 12. (2.) quomodo ipsi *annunciata* à v. 13. ad 19. (3.) quomodo *suscepta & tolerata* à v. 20. ad 22. Ad primum sc. *procumationem* s. *originem* tentationum & calamitatum Ijobi spectat (1.) Satanae obtrectatio (2.) DEI permissio. Hujus a. *originis* & principalis calamitatum Autoris descriptio incipit in v. 6. qui noster est locus, in quo uti *impudens Diaboli ad DEum in Concilio angelorum accessus* designatur: ita in subsequentibus v. 7. 8. 9. tum *DEus cum Diabolo superveniente loquens* & de Ijobo cum insigni ejus laude interrogans, tum *Diabolus ad quæstionem DEI respondens & laudibus Ijobi impudenter & calumniose contra DEI testimonium detrahens* &c. introducitur. Ex his ergo breviter adductis cum connexio loci satis elucescat, statim ad *Analysin Logicam* progredimur.

§. 3. Logicè v. locum resoluturi paucis nos expediemus, cum dissidium hic ad Logicam Orationis in subjectum & prædicatum resolutionem spectans non deprehendamus. Duabus verò hic locus constat enunciationibus s. Orationibus Logicis, quarum prior hæc est: *Filii DEI venerunt die quadam ad standum juxta Dominum*; posterior: *Satanas veniebat in medio illorum*. Prioris Orationis subjectum sunt **בני האלהים** filii DEI, de quibus

quibus disquirendum quinam sint? *Prædicatum*; venerunt die quadam ad standum juxta Dominum, resolutum r (1.) *in actum conveniendi*, qui notatur voce ויבא & venerunt (2.) *finem conventus*, qui designatur verbis להתיצב על יהיה *ad standum juxta Dominum*. (3.) *adjunctum temporis*, quod insinuat vox היום quodam die. (4.) *Loci vel quasi*, quo referimus verba היה על *juxta Dominum*. Posterioris *subjectum* est שטן *Diabolus*; *prædicatum*, veniebat in medio illorum, quod involvit (1.) *actum interveniendi*, quem indicant voces גם ויבא & veniebat etiam (2.) *Terminum ad quem* כחכם *in medio ipsorum* sc. filiorum DEI (3.) *finem*, qui ex sequentibus patet. Ex hac brevi resolutione Logica non difficulter intelligitur quodnam sit loci argumentum sc. *impudens Diaboli in Concilio angelorum ad Deum accessus*, vel: *angelorum Concilium, cui Satanas intervenit*: pateret quoque hinc exegeseos s. tractationis partitio, nisi tractanda nonnihil contrahere placeret, uti ex seqq. patebit.

## CAP. II. sistens

*Ipsam exegetin.*

Sensum ergo loci magis magisque indagaturi ad ipsam loci *exegetin* nos conferimus, quam duobus sistere membris ea, quam analysis præparavit viâ vel ordine, possemus, ut sc. prior *priorem de Conventu filiorum DEI Orationem*; Posterior vero *posteriorem de interventu Diaboli enunciationem* explicaret; placet autem nunc sequenti ordine, ab analysi tamen non longè nimis abeunte, exegetin formare, ut sc. 1. præmittamus *generatim Concilii filiorum DEI Veritatem* s. quæstionem, an *Concilium hoc fuerit imaginarium* s. parabolicè intelligendum; an vero pro verè gesto sit habendum? 2. *Speciatim Concilii hujus Historiam* inque ea (1.) exponemus *circumstantias cum temporis tum loci* (2.) *convenientes ipsos*, sc. filios DEI (3.) *finem Concilii* (4.) *Intervenientem Satanam*. Esto igitur cap. hujus II.

## MEMBRUM I. GENERALE

exponens

*Concilii filiorum DEI Veritatem variasq; de illa sententias.*

GRande enim bellum hic inter Doctores & scripturarum Interpretes apprehendimus, admodum de veritate Concilii hujus disceptantes ac disquirentes, quale fuerit Concilium, qualis Diaboli adventus colloquiumque? an *juxta historiam & ad litteram* sicut intelligenda, adeoque *pro verè gestis* habenda? an verò *allegoricè tantum* s. *parabolicè*; an potius *figuratè &* per

per *Prosopopaiam* vel *Erbopaiam* vel *Mimesin* quendam sint exponenda? Sive an conventus fuerit *imaginarius* & in *visione representatus*? Plurimi sane prius, sc. veritatem Concilii negant, statuentes posterius; quanquam inter se ipsos multum dissident. Variantes igitur sententias breviter adducere oportebit, priusquam *Thucydidi* addamus & nostram verisimiliorem, ceu fas est, stabiliamus. Non enim Iudæi tantum veteresque Ecclesiæ Doctores, sed & recentiores, quin ex nostratibus non omnino nulli in diversum hic abeunt. Unde res, de quâ in præsentiarum quæritur, non omnino facilis videtur: nam & *Pineda* paulò ante laudatus l. c. p. 38. in pr. fateatur, *in re non omnino facili triplicem esse sententiam*. Quanquam & revocari ad duas has generales possunt, ut dicatur quosdam Concilium hoc pro verè gesto habere; plures verò negare id *juxta historiam* intelligi debere. Cum vero & posteriores & priores in duas rursus, si non plures, scindantur sententias, uti jam vel ex propositione quæstionis colligere licuit: quidam enim ad *Rhetoricam*, alii verò ad *visionem* recurrunt, ut parum absit, quin ad *Poeticam* confugiant; hinc non immeritò triplicem imò quadruplicem esse sententiam hic dandam censemus.

§. 2. Ad *Rhetoricam* recurrentes statuunt *allegoricè* vel *parabolicè* omnia esse intelligenda, quæ hic tanquam temporaliter gesta narrantur. Sic *Origenes*, qui plurimum mysticis delectatur sensibus & omnia ferè sumit allegoricè, quæ literaliter sunt intelligenda, ceu de ipso h. l. testatur *Bolducius Capuccinus* in vastissimo ad *Jobum* Comment. Tom. 1. p. 80. Similiter *Maimonides* Iudæorum doctissimus in *Moreh Nevochim* p. 3. c. 22. dicens, omnia esse *parabolica* & summa involvere *mysteria*. Ad quem *Maimonidis* locum ab *Ephodæo* laudatur *R. Simeon ben Lakis*, qui angelos de *Potentia naturalibus* & *Satanam* de *prava suggestionem* vel *concupiscentiam* acceperit. Consentit *R. Levi ben Gerson* & alii. Ab his verò dissentiunt alii è Christianis, qui quidem ad *Rhetoricam* quoque recurrunt; non tamen *allegoricè* vel *parabolicè*; sed *figuratè* exponunt, ita ut quædam hic *Prosopopæia* s. ficta Personarum inductio, vel *Mimesis*, quæ verorum personarum dicta & gestus per imitationem representantur, sive *siçlio* quædam *Poëtica* sit danda, non tamen falsò vel inutiliter, sed ut utilia & verissima nobis sub fictione quædam *Poëtica* indicentur & per conventum angelorum in genere ipsorum in DEO laudando alacritas & administrandi promptitudo adumbretur, at per *Satanam* accessum indigetetur, hunc etiam divinis subesse oculis & imperio, aut similis esse cum angelis naturæ, semperque conari hominum salutem infidias

dias struere &c. quam nonnullorum sententiam pluribus exponit *Pineda* l. c. p. 38. ubi & autores adducit *Gregorium, Salvianum, Thomam, Cajetanum, Carthusianum, Isidorum Clarium* &c. His etiam suffragantur *ex recentioribus* non omnino nulli, & quidem ex *Reformatis Coccejus* Comment. in *Ijobum* h. l. p. 13. dicens: *allegoria hæc est, aut si mavis cum Chryostomo* ~~αερονομία~~ *: Sub humani iudicii forma explicatur divina providentia, quod puribus ibi deducit. Similiter ex nostris B. Christophorus Scultetus* in analysi typ. Concionum super *Job*. p. 8. *Concilium hoc, inquit, per αερονομίαν, ut Chryostomus vocat, vel ἱστορίαν indicat hæc omnia justo & sapienti DEI consilio acta.* Ex Pontificiis quoque *Emanuel Sa* parabolice locum interpretatur, & *Mariana* *profopœiam* hinc tantum aut hypotyposin esse, per quam intelligitur veritas contendit. &c.

*Reform*  
§. 3. Quod II. illorum attinet sententiam, qui conventum hunc statuant *imaginarium* adeoque rem, quæ hoc loco narratur, non ita esse peractam, sed tantum visam vel in visione quædam representatam censent, eamque ex simili visione i. Reg. 22. v. 19. seqq. confirmant, huic certè ex nostris patrocinator *Ursinus* 2. Anal. l. 4. p. 206. Eodem collimat *Grotius*, quod allegata ab ipso loca probant: ita enim ad h. l. scribit: *Solent DEI decreta, angelorum bonorum ministeria, malorum machinationes exprimi ad formam iudiciorum aut consiliorum Regis* i. Reg. 22. v. 19. *Zach.* 3. v. 1. seqq. Ex Pontificiis *Mercerus* Comment. in *Job* h. l. p. 5. *non ita crasse, inquit, seu ad literam facta fuerunt; sed Scriptura sese nostro captui accommodare voluit. Tale colloquium Domini exponitur, i. Reg. 22. 19. Non habet alioqui opus Dominus cum Satana colloqui, cum gnarus sit, nec princeps tenebrarum in DEI clarissima lucis conspectum venire possit &c. Nec Angeli proprie veniunt ad Dominum, cum assidue faciem ejus videant, &c. Idem quoque videtur placuisse *Vatablo* & verosimile putat *Hugo*. conf. *Pineda* l. c. p. 38. *Hactenus de sententiis illorum, qui realiter hæc esse peracta negant.**

§. 4. His verò contradicunt, qui *Concilium hoc pro verè & realiter gesto* habendum & juxta historiam literamque intelligendum esse volunt, quanquam & hi rursus in duas, si non plures, scinduntur partes. Quidam enim hunc conventum verè quidem & realiter accipiunt ac per filios DEI intelligunt *Angelos Spiritus*, sed conventum ipsorum non *ratione corporea*, sed *modo spiritibus conveniente* gestum esse contendunt: quæ sententia quorundam est *Patrum* pluriumque *Pontificiorum*, quamvis hi audenter fati illam augeant, ceu videre est apud *Pinedam* *Jesuitam* l. c. p. 36. num. 1. ubi non

non tantum Patres *Athanasium, Augustinum, Nazianzenum, Lactantium* & *Olympiodorum* pro se allegat horumque verba adducit, imò & *Lyrannum* in hanc sententiam non invitum trahi posse, *Hugonem* verò *Cardinalum* lubentem ipsum descendere, *Johannem* denique *Ferum* non longè recedere dicit; sed & præterea locum hujus Concilii sc. *prope domum Jobi, presidemq;* conventus *aliquem ex superioribus Angelum*, simulac *causam* ejus sc. *auxilium Angeli custodis Ijobi*, determinare audeat. A sociis verò hic suis (ut & a libi solet quandoque) abit *Bolducius Capucinus* ad sequentem sententiam audiendus. Alii enim non verè tantum & realiter, sed & *ratione corporea* peractum hunc conventum docent: Etenim per *filios DEI* hinc vel *Prophetas* & *Sacerdotes Ecclesiæq;* *Doctores*, qui ad ministrandum coram Domino hinc convenerint, vel *potentes Viros* & aliquem *Adversarium emulorum per Satanam* hinc inditari putant. Posterior *de conventu potentum* æmuliq; adversarii, quorundam fuit Ebræorum, quos nominant *Dn. D. Pfeiffer. & Dn. D. Schmid.* h. l. *Prior vero de Prophetarum* congregatione dicti jam est *Bolducii*, qui sociis quidem suis contra *Allegoricos & imaginarios* S. 2. & 3. citatos principio suffragari, & realiter hunc conventum *prope ades Ijobi, Præsides* quodam *Arch-Angelo. DEI Vicario, in auxilium Angeli custodis Ijobi* peractum statuere cum *Pineda*, laudatis quibusdam Patribus, *Athanasio, Lyrano, Olympiodoro & Hugone* Card. videtur, *Comment. in Job.* Tom. 1. h. l. præverum p. seqq. 82. & 83. item lib. 1. de *Eccl. Ante-Mosaica* cap. 44. mutare sententiam hanc & conventum hinc non Angelorum sed *Prophetarum & Sacerdotum Ecclesiæq;* *Doctorum* statuere, qui tunc temporis coram altari in celeberrimo terra Uz templo, in cacumine montis Hermon sito, quod sanctissimus *Dux & Pontifex Jobus* fuerit moderatus, sint congregati, imò & seq. p. 84. & 85. *Comment. in Ijobum, similitudinem inter hanc filiorum DEI & illam Prophetarum Doctorumq;* *Ecclesiæ congregationem, quæ Antiochia Act. 13. 1. facta legitur, monstrare non veretur.*

S. 5. Nos verò de recensitis hæcenus sententiis quid sentiamus, breviter dicturi, primò rejicimus illos, qui S. 2. & 3. vel ad *Rhetoricam* recurrunt, & modò *allegoricè* vel *parabolicè*, modò *figuratè* s. per *Prosopopæiam* vel per *mimesin* &c. locum hunc exponunt, vel *imaginarium* fuisse conventum angelorum per *visionem* quendam *representatum* dicunt, & *contrà, pro verè gestis* habenda esse, quæ h. l. narrantur, judicamus, tum quod *nihil incommodi hinc sequi videatur*, tum quod *à litera temerè ad metaphoram* vel

B

figuram,

*figuram, vel imaginationem vel visionem* recedere non oporteat; sed textus scripturarum, ubi in Grammatico sensu nihil inest absurdi, uti narratur & verba jacent, sint intelligendi, ceu bene hic loquitur *Pineda* l. c. p. 38. num. u. Deinde verò etiam, quæ præced. §. 4. ex quibusdam Patribus Pontificii præcipuè *Pineda* & *Bolducius*, sententiæ huic de Concilio Angelorum realiter peracto, temerè satis adjiciunt determinando locum hujus concilii & Præsidem Vicarium causamq;, quin & quæ peculiariter hic *Bolducius* confingit de congregatione Doctorum Ecclesiæ, ut & quod *Rabbini* quidam comminiscuntur de conventu potentum, meritò reprobamus, prout ex secutura mox Exegesi satis elucescet.

§. 6. Contrà verò sententia de loco præsentis hæc est nostra, quæ & *Dn. D. Pfeifferi* est in dub. vex h. l. quod Concilium hoc Angelorum & adventus colloquiumq;, Diaboli ad literam intelligenda sint, & pro verè actis habenda, non tamen ratione corporæ, verùm modo & DEO & Spiritibus congruo. Ejusdem sententiæ Patronum laudamus *B. Dorscheum* Theologum quondam *Argentorato-Rostochiensem* in Pentadec. Disput. 2. §. 32. ubi ad Pf. 2. 3. occasionaliter commentationem *Bolducii Capuccini*, de loco, Præside vicario & causa conventus hujus Angelici paulò ante citatam reprobat, hujusque commentationis mutationem præced. §. 4. dictam, quæ per filios DEI intelligit Prophetas Ecclesiæq;, Doctores, tangit; unde colligimus pro conventu Angelorum Spirituum verè peracto eundem pronunciare. Laudamus quoque *Dn. D. Schmidium*, qui quamvis in Comment. ad I Job. h. l. in principio p. 7. referat, veteres jam olim Ecclesiæ Doctores agnovisse, quod, quæ h. l. narrantur, figurata sint, simulq;, *Mercero* & *Coccejo* citatis addat hæc verba: *Es certè omnia ad literam accipere non debemus nec sine absurditate possumus. Itaq;, humano stylo concepta sunt &c.* hoc ipso tamen non negare videtur, conventum hunc pro verè gesto esse habendum, sed illud tantum subianuere velle, non humano vel corporeo more, sed modo Spiritibus congruo esse intelligenda. In seqq. enim nullam s. allegoriæ s. figuræ mentionem habet, sed potiùs Concilium hoc *figmentum* esse negat & realiter peractum dicit p. 25.

§. 7. Neq; etiam rationibus destituimur. Præter enim illas præced. jam §. 5. intersertas urgemus, quod uti *liber Jobi* veram continet historiam, minimè verò parabolam, quod *Schmidius*, *Pineda* & *Bolducius* in Commentariis super Jobum, & proximè præcedentia de felicissimo *Jobi* statu, de filiorum convivio, & de Sacrificio *Jobi* quæ historica sunt ostendunt: ita & hanc ejus particulam de Angelorum Concilio historicam esse narrationem oportebit.

Deinde

Deinde & nostra interpretatio fidei analogæ est sensusque ejus commodè ex textu fluit: Angelos enim bonos ad nostram emitti salutem & DEO adstare; Diabolum verò circumire & indefinenter nos apud DEUM accusare, scriptura passim docet. Contrà verò Cocceji & Merceri aliorumque sententia, qui verba textus vel *allegoricè* vel *figuratè* vel *imaginativè* accipiunt; coactè locum exponit, nec rationes ipsorum tanti sunt ponderis, ut dimovere nos ab interpretatione nostra possint. Quod enim (1.) visiones attinet, à *Mercero* (conf. præced. §. 3.) aliisque ex 1. Reg. 22. 19. & Zach. 3. v. 1. productas, quomodo ipsi probabunt iis similem esse, qui h. l. narratur, conventum, h. e. non revera peractum, sed per visionem representatum? Non enim hic, uti illic, verba textus de *visione* testantur, sed uti proximè præcedentia ita & hic conventus per modum historiæ recensentur. Nec (2.) sequitur, ceu *Mercerus* supr. §. 3. concludere hic contra nostram interpretationem videntur velle: *ad litteram facta hæc dicimus, Ergo crassè & ratione corporeâ.* Per litteram enim hic intelligimus *Grammaticum & historicum sensum* & exponimus *verè gestum*, opponimusque interpretationi, quæ fit per *Metaphoram* s. *Allegoriam* vel per *figuram* vel *visionem*; dicimus autem non crassè i. e. *ratione corporea*, sed modo spiritibus competente conventum esse peractum. Cetera *Merceri* aliorumque argumenta ex jam seq. specialiori historiæ exegesi faciliè resolvuntur. conf. §. 1. & 2.

## MEMB. II. SPECIALE

evolvens breviter

*Concilii hujus Angelici Historiam,*

*Inq. ea 1. Circumstantias Temporis & loci, 2. Convenientes, 3.*

*finem conventus 4. Intervenientem.*

**P**incipiò nobis exponenda venit *circumstantia temporis*, quæ statim ab initio designatur verbis: וַיְהִי הַיּוֹם quæ variè redduntur. Duo autem hic disceptantur, (1.) *quomodo vox* וַיְהִי הַיּוֹם reddenda, an per *diem hant*, ceu habet LXX. s. per *hodie*; an verò per *quodam die*, uti *Vulg. & Lutherus* verterunt? (2.) *Quinam is dies* fuerit, quo conventus hic Angelorum celebratus? Ad (1.) dicimus, phrasin hanc וַיְהִי הַיּוֹם quæ non hoc tantum loco, sed & alibi in scripturis adhibetur, (conf. saltim 2. Reg. 4. 8.) minus commodè à LXX. reddi: ὅτι ἐγένετο ὡς ἡ ἡμέρα αὐτῆς. Qvalis enim hic sensus: *& factum est sicut dies hæc?* Nec meliùs à Tremellio verti: *quum esset dies hujusmodi.* Dices: non malè has versiones *relativum* facere & diem



hunc conventus referre ad *dies Conviviorum filii Ijobi*, quæ præced. v. 4. de-  
 scribuntur, quorsum & hæc Piscatoris respicit: *Die illorum quodam*. Sed  
 respond. Non convenire id, cum aliis Scripturæ locis e. c. 2. Reg. 4. 8. ubi  
 eadem phrasis, ceu dictum, habetur. conf. Dn. D. *Schmidius* h. l. p. 19.  
 Nec reddendum hic esse  $\square$   $\square$   $\square$  per *hodie*, ceu aliàs solet, existimamus.  
 Sicut enim non quadraret si l. c. 1. Reg. 4. 8. eandem hanc phrasin ita redde-  
 remus: *Et factum est hodie Et transit Eliseus in Sunem* &c. Ita nec h. l. *Et*  
*factum est hodie Et venerunt filii DEI*. Rectius verò *indefinitè* redditur per  
*quodam die*, quomodo & *Vulg. Pagn.* ac *Lutherus* transtulerunt: *auff einen*  
*Tag*. Præfixum enim  $\square$  demonstrativum aliquando quidem *certum quid*  
*sed vagè* tamen significare & per *quidam* explicandum esse, ostendunt loca  
*Gen. 14. 13. c. 28. 2.*  $\square$   $\square$   $\square$  *in locum quendam* *Eccl. 4. 12* Consentit *Coc-*  
*cejus* *Comment. h. l. p. 14.* probat Dn. D. *Schmidius* l. c. & *Schultetus* *Anal.*  
*typ. in Job. p. 8.* Nec aliter loco 2. Reg. 4. 8. jam antè commendato, nec aliter  
*infrà Ijob. 1. v. 13.* idem illud  $\square$   $\square$   $\square$  accipiendum, sc. *die quodam convivii fi-*  
*liorum Ijobi*. Igitur h. l. *certus* quidem *dies* conventus hujus Angelici  
*fuit*, quovus verò s. anni s. ætatis Jobi fuerit non describitur, adeoque indefi-  
 nitum tempus juxta textum Originalem manet, nec determinari dies potest.  
 Ebræi tamen hîc, præeunte *Chaldeo Pamphrasta*, qui disertè habet  $\square$   
 $\square$   $\square$  i. e. *in die judicii*, diem hunc de *die quodam judicii* vel *generalis*  
*vel specialis* accipere non verecundantur. Docent enim *genemle judicium*  
*tribus institui temporibus* 1. *in principio anni*, primò die Tisri, 2. die *Kip-*  
*purim* s. *expiationis* & 3. *in fine seculi*, quem *judicii diem* & quidem *magni*  
 $\square$   $\square$   $\square$  appellant, adeoque statuunt hunc diem, vel fuisse *primum*  
*diem anni*, quo DEUS rationes anni totius accipiat omniaque in annum  
*sequentem* disponat: ex quo lucem capit dicta versio *Chaldaica* quæ h. l. ha-  
 bet: *in die judicii* & quidem  $\square$   $\square$   $\square$  *in principio anni*, & versio seqv.  
*cap. 2. 1.* ubi locus hic repetitur & *Chaldaeus* reddit,  $\square$   $\square$   $\square$   
 $\square$   $\square$   $\square$  i. e. *dies judicii magni remissionis peccatorum*: vel fuisse  
*diem judicii particularis Ijobi*. Plura de his vide apud *Coccejum* l. c. Licet  
*autem Rabbinica* sint, ceu illa *Coccejus* ibidem vocat, & *crassa*, ut *Mer-*  
*cerus* ea h. l. nuncupat p. 5. & *fabulosa*, uti Dn. *Schmidius* nominat, quæ h. l. de  
*die conventus Angelici* proferunt; B. *Schultetus* tamen in *Anal. typ. con-*  
*cionum in Ijobum p. 8.* non repugno, inquit, cum *Chaldeo Et Rabbi-*  
*nis* quibusdam de *singulari quodam judicii die accipi*, modò somnia  
*illorum de principio anni Et die Kippurim*, quibus acta totius anni Angelici  
 DEO

DEO referant, non admisceantur. Eodem collimat B. Dorscheus in *Pentadec.* l. c. ubi *Bolducium* paucis notat dicens: *rectius ille conventus, tanquam particularis iudicii divini, in caelis institutus &c.* Neq; nos adeo refragamur, si dies hic dicatur *quasi iudicii vel potius probationis*, quo sc. in conventu hoc Angelico, cui Satanas supervenit, decreta sunt quæ sequuntur in lib. Jobi, antequam ipsi Jobi ad probationem ejus, à DEO, prævia Diaboli insimulatione, fuerunt immissa. Cæterùm vanus hic est *Mercerus* supra m. i. §. 3. abs nobis notatus, dum ea propter hunc locum non crasse ad literam, sed eo accipiendum modo esse docet, quo i. Reg. 22. 19. quòd *dies hic* assignatur DEO qui temporis expers est, adeoq; id humano fieri more putat, Comment. in Jobum h. l. p. 5. Nam etsi verum est, non omnia crasse ad literam accipienda esse, si cum *Mercero* diem ad DEUM retuleris; existimamus tamen diem hunc ratione Angelorum potiùs, quam DEI, imo pro tempore, quod aliàs ævum dicimus, in quo Angeli sunt, intelligendum esse. Et benè hic observat Dn. D. Schmidius, non dici: *Et fuit dies Et sedit DEUS super throno*; sed: *Et fuit dies Et venerunt filii DEI.*

§. 2. Quemadmodum verò de temporis adjuncto nihil certi possumus determinare præter illa, quæ modo designavimus: ita nec de loco cum *Pineda* & *Bolducio* præced. m. §. auditis definire quimus. Miramur hinc meritò cum B. Dorscheo l. c. unde *Bolducius* habeat, Angelos prope domum Jobi convenisse. Nihilominus tamen *Pineda* l. c. p. 38. res ipsa, inquit postulare vidatur, ut Angeli qui salutem & res Jobi erant procuraturi, & Satanas petens facultatem I Jobo nocendi, ibi locorum convenerint, ubi res ipsa & I Job atq; filii ejus versabantur. Sed ratiocinio consequentia inest nulla. Cùm vero nos supra, in *Μεταφυσικῆς* tractationis, verba loci על יהוה i. e. ad s. juxta Dominum, referre ad conventus hujus locum vel quasi voluerimus, hinc dicendum est, conventum hunc fuisse habitum juxta Dominum. Dicuntur enim venisse filii DEI ad Dominum. Utut enim טו על communiter significet super, à Radice על ascendit; nonnunquam tamen etiam notare ad s. juxta satis probant loca Gen. 18. 8. cap. 28. 30. i. Sam. 20. ii. Job. 33. 23. &c. Vanus hic iterum *Mercerus* est, dum p. 5. denuo ex eo, quod angeli hic dicuntur ad DEUM venire, concludit, conventum hunc similem esse illi i. Reg. 22. 19. descripto, & humano omnia more h. l. dici, nec ad literam intelligenda esse, cum Angeli semper videant faciem DEI adeoq; semper apud ipsum sint: Imò & venire vel redire ad DEUM tunc dici putat, cum ipsum laudant & celebrant precesq; justorum eidem offerunt. Quamvis autem ve-

rum sit angelos corporeis pedibus ad DEUM non venire, cum Spiritus sint; suum tamen habent motum, cum non ubiqve sed finiti sint. Sicut ergo Satanas, cum Angelorum concilio supervenit, à motu revera venit, qvo *terram pervagatus* seq. v. 7. dicitur: ita & angeli ad Dominum motu propriè dicto venerunt. Interim qvoqve verum est, qvod *faciem DEI semper videant* Matth. 18. Non enim tantum DEus cum Angelis est, ubicunqve fuerint ipsi, cum sit ubiqve: Sed illud qvoqve gloriosæ manifestationis divinæ *vis*, ad qvod venisse hic intelliguntur, semper ipsis in conspectu est. Quid? qvod *cælum illud* Matth. 18. *in qvo Angeli vident faciem DEI Patris cœlestis*, cœlum est *præsentiæ divinæ* atqve ita ubiq; conf. D. Schmidius h. l. p. 20. Dicuntur autem hic venisse ad Dominum, cum sc. commissa ipsis à DEO e. c. custodiam Jobi & domus ejus peregerunt: ut adeo sensus verborum hic sit: *quodam die cum venerunt à custodia circa Ijobum & filios & quicquid ejus fuit ad Dominum.* Non ergo necesse hæctenus est statuere conventum hunc angelorum fuisse in *cælo* vel *vis* *barorum*, cum potuerit in terra esse, cum in terris qvoqve angeli existentes videant faciem DEI in cælo, in *cælo* inquam *præsentiæ divinæ*, uti jam dictum est. Ut vel hinc iterum inepta satis appareat *Merceri objectio* supra §. 3. adducta, qva ita argumentatur: *Conventus hic similis est illi* 1. Reg. 22. 19. *adeoq; verba hïc ad literam non intelligenda sunt, cum etiam Diabolus ad hunc conventum, qvi in cœlis apud DEum est peractus, venisse dicatur; Diabolus verò in cælum vel vis angelorum non venit.* Præterea dici contra *Mercerum* potest, DEum potuisse *Diabolum accersere in cælum ceu judex carnificem.* conf. Dn. D. Pfeifferus in dub. vex. h. l. p. 558. Placet tamen etiam B. Dorscheo statuere, *conventum hunc in cælis esse institutum ab angelis*, Satanamqve ad illos DEI permisso, sine ullo tamen gloriæ cœlestis fructu, venisse. conf. ejus Pentadec. Disp. 2. p. 32. *Ridiculi tandem hïc sunt Pontificii*, præprimis *Pineda*, dum non tantum concilium hoc, ceu diximus, *prope domum Jobi* peractum, sed & *Præsidente quodam Archangelo*, Dei vicario, statuunt, imò nec obstare sibi divinum nomen vel diferta loci verba: *& venerunt* *אל והיה* i. e. *ad Dominum*, putant; cum tamen hoc nomen nulli creaturæ competat adeoqve nec *Archangelus* per illud, sed *Deus ipse summus* indigitetur; quicquid etiam *Pineda* hïc sibi ipsi dubium contra nomen illud formans p. 59. in pr. ogganniat. Miratur quidem etiam hïc B. Dorscheus l. c. unde *Bolducius* (nos addimus: *Pineda*) hoc didicerit; sed *Pineda* hïc autoritatem *Athanasii* & *Olympiodori* laudat; quam tamen contra clarum loci textum insufficientem censemus.

§. 3. Vi-

§. 3. Visis ita *temporis lociq;* circumstantiis, jam II. ipsi *convenientes* veniunt videndi, qui dicuntur hic *fili DEI*. Ubi quæritur (1.) *quinam illi*, (2.) *quod fuerint?* *Bolducium* hic mutatâ priori, sententiâ per *filios DEI* intelligere *Prophetas similesq;* *pios*, jam supra dictum est §. 4. sed fallit. Equidem novimus in Scripturis *to filii DEI* variè sumi; hoc a loco non *Prophetas piosq;*, significari, certi sumus, tum ex oppositione *intervenientis Satanae*, tum quod repugnet, ut in congregationibus sacris in hac terra institutis *Satanas* comparens de filiis *DEI* in his terris conqveratur; quod tamen in hoc conventu legitur factum. Confirmat sententiam de Angelis locus *Jobi 38. 7.* ubi dicuntur *jubilantes omnes filii DEI*, in ipso sc. primævæ creationis cursu: nulli enim filii *DEI* in aliqua tunc copia præsto erant, quando creationis opus absolutum, quàm angeli boni. Rationis hujus denominationis *Coccejus* collegit quatuor l. c. p. 15. ex quibus nonnullas *Dn. D. Schmidius* rectè refutat p. 22. Paucis: Dicuntur *fili DEI*, quia sancta sunt *DEI* creatura, tum per primam productionem, tum per secutam confirmationem. Laudamus hic *Chaldeum*, qui pro בני מלאכי disertè hîc habet בני מלאכי i. e. *chorus angelorum*. Cujus paraphræos occasione quæritur, (2.) quod fuerint *angeli* hîc convenientes? Credimus cum *Dn. D. Schmidio* convenisse quidem aliquos, non vero omnes: nunquam enim omnes à piis discedunt, nec dicitur hîc *omnes filii DEI*, ut *I Jobi 38. 7.* sed simpliciter, *fili DEI*. Addit ille, fuisse hîc convenientes illos, qui pro custodia tum *I Jobi* tum iis qui quæque ad illum pertinebant, dati fuerunt, à quibus accepit Dominus, quod de *I Jobo* prædicat v. 8. quibus se immiscuit *Satanas*, hanc custodiam amoliturus.

§. 4. III. *Finis* conventus notatur verbis: ad *standum juxta Dominum*, uti vulgò transferuntur. *Rabbini* quidam reddunt: ad *litigandum cum Domino*, fors propter seqv. particulâ ל, quæ aliquando *contra*, hîc vero *juxta* vel *ad* significat; verum quod ל cum verbis *standi* sine oppositione usurpetur, vel locus *1. Reg. 22. 19.* ostendit: Rectius: ad *standum juxta Dominum*, sc. ut ministros *Dei* decet, præstituri, quod sui erat officii, & honorem subjectionis *Domino* contestaturi, quin & quæ in terris præprimis circa *I Jobi* gesta erant relaturi, forte etiam *Diaboli* calumniam præventuri. Non probamus hic *Scholasticorum* opinionem, à *Pineda* hic insinuatam, quasi quidam *Angeli* semper *Domino* adstent, nunquam hîc recedentes: Hujus enim nullum in *Scripturâ* fundamentum. Igitur rectè à *Coccejo* hic reprobatur. Frustra verò est *Mercerus* p. 5. dicens, verba hæc: ad *standum juxta Dominum*, de *Satana* non

non addi. Videatur enim seq. Cap. Jobi 2. v. 1. ubi disertè adduntur nec ali-  
quid novi hoc ipso dicitur, conf. *Dn. Schmidius* ad Job. 2. v. 1. p. 56.

§. 5. Tandem IV. *Interveniens* quoque esset considerandus, qui di-  
citur hic  $\text{I}\overline{\text{D}}\overline{\text{U}}$ , quæ vox *adversarium* notat, à R.  $\text{I}\overline{\text{D}}\overline{\text{U}}$  *adversatus* fuit. Di-  
aboli nomen in Scripturis hoc esse, qui sponte sua factus est malitiosus DEI  
priorumque adversarius, pervium est vel ex I. Petr. 5. 8. Quare autem h. I.  
vox *singularis* numeri *Satan* adhibeatur & *quomodo* is h. I. venerit sc. ut fur  
inter filios Dei, vid. apud *Schmidium* p. 23. 24. Non *ordinariè* adest (inquit  
h. I. *Calovius in Bibl. Illustr.* p. 886. prætereaq; nihil fermè ad h. I. is notavit)  
*sed advenit ut extraordinariè irreperet ad accusandum: non vocatus, impu-*  
*denter venit permissu tamen divino.* Quam impudentiam rectè etiam h. I.  
notat *Reformatus Coccejus*, minùs autem recte *neccssitatem parendi* addit,  
quam contrà rectissimè negat *Mercerus* h. I. p. 5. Nemo enim hic ipsum coë-  
git accusare sed permisit Deus. Nos verò hîc abrumpere coacti, pergemus ad

### CAP. III. exhibens

#### *Loci bujus expositi Usus.*

Sicut enim omnis Scriptura *ἰερόμεινος* est utilis 2. Tim. 3. 16. ita & hujus  
Spericopæ de *Angelorum conventu*, tanquam partis Scripturæ, usus est  
amplissimus, de quo breviter. Est autem (1.) loci utilitas *didactica*: Do-  
cet enim (1.) *Angelos* tam bonos quam malos, *revera existere*, & bonos quidem  
paratos esse ad stare altissimo, ceu ministros ejus decet, nostraque hominum  
commoda procurare; malos vero astutè circumire, & bonorum se conventi-  
bus impudenter immiscere, ut hominibus damnum inferant, quod passim  
in Syttematibus docetur. (2.) Docet verbis: & factum est quodam  
die, *Angelos* quoq; suum habere tempus, quod Theologis & Philosophis  
vocatur *ævum*. (3.) Docet verbo: & venerunt, eosdem suum habere desi-  
nitum  $\pi\tilde{\nu}$ , in quo tanquam finiti *Spiritus* sint & non simul in alio. (4.) Docet  
hic locus cum sequentibus, omnia divino providentis DEI Imperio & directio-  
ni subiacere, ita ut nec Diabolus huic concilio superveniens sine DEI permis-  
su quicquam valeat. (5.) Concludimus ex h. I. *librum Ijobi à Scriptore di-*  
*vinitus & propheticè illuminato esse scriptum*: cui enim aliàs de Spirituum  
concilio, quod h. I. narratur, constitisset, nisi divinitus revelatum fuisset. I-  
dem ex h. I. *Rambam* collegit & *Dn. D. Schmidius* l. c. p. 25. ubi dicit: *In-*  
*signem profectò fuisse Spiritus S. illuminationem oportet, in qua tam distin-*  
*ctè omnia revelata sunt.* Reliquas loci utilitates sc. 2. *elencticam* 3. *Pa-*  
*raeticam* & 4. *Paracleticam* spatium excludit.











§. 3. Visis ita temporis lociq; circum-  
 res veniunt videndi, qui dicuntur hic filii DEI  
 (2.) quot fuerint? Bolducium hic mutatâ prio-  
 ligere Prophetas similesq; pios, jam supra dicti  
 dem novimus in Scripturis to filii DEI variè s  
 piosq; significari, certi sumus, tum ex oppositi-  
 quod repugnet, ut in congregationibus sacris  
 comparens de filiis DEI in his terris conqerat  
 ventu legitur factum. Confirmat sententia  
 ubi dicuntur jubilantes omnes filii DEI, in ipso  
 nulli enim filii DEI in aliqua tunc copia præste-  
 pus absolutum, quàm angeli boni. Rationis  
 collegit quatuor l. c. p. 15. ex quibus nonnulla  
 tat p. 22. Paucis: Dicuntur filii DEI, quia san-  
 primam productionem, tum per secutam con-  
 Chaldaeum, qui pro בני האלהים disertè  
 i. e. chorus angelorum. Cujus paraphraseos  
 fuerint angeli hic convenientes? Credimus cu-  
 fe quidem aliquos, non vero omnes: nunquam  
 nec dicitur hic omnes filii DEI, ut I Jobi 38.  
 Addit ille, fuisse hic convenientes illos, qui p  
 qui quæque ad illum pertinebant, dati fuerunt  
 quod de I Jobo prædicat v. 8. quibus se immisc-  
 amoliturus.

§. 4. III. Finis conventus notatur verbis  
 uti vulgò transferuntur. Rabbini quidam reddi-  
 no, fors propter seqv. particulâ על, quæ aliqua  
 ad significat; verum quod על cum verbis stan-  
 vel locus i. Reg. 22. 19. ostendit. Rectius: ad stan-  
 nistros Dei decet, præstituri, quod sui erat officii  
 mino contestaturi, quin & quæ in terris præpri-  
 laturi, forte etiam Diaboli calumniam præventi-  
 lasticorum opinionem, à Pineda hic insinuat  
 per Domino adstent, nunquam hinc recedente  
 pturâ fundamentum. Igitur rectè à Coccejo hic  
 Mercerus p. 5. dicens, verba hæc: ad standum

ipfi-convenien-  
 (1.) quinam illi,  
 filios DEI intel-  
 fallit. Equi-  
 non Prophetas  
 tis Satanae, tum  
 stitutis Satanas  
 in hoc con-  
 ocus Jobi 38. 7.  
 eationis cursu:  
 o creationis o-  
 tionis Coccejus  
 dius rectè refu-  
 atura, tum per  
 Laudamus hic  
 בני מלאכי  
 itur, (2.) quot  
 idio conveni-  
 piis discedunt,  
 ter, filii DEI.  
 I Jobi tum iis  
 cepit Dominus,  
 unc custodiam  
 xta Dominum,  
 lumcum Domi-  
 vero juxta vel  
 one usurpetur,  
 num, sc. ut mi-  
 bjectionis Do-  
 gesta erant re-  
 mus hic Scho-  
 a Angeli sem-  
 nullum in Scri-  
 ruftra verò est  
 m, de Satana  
 non

